

DECRETUM

SALUBERRIMÆ FACULTATIS IN ACADEMIA PARISIENSI,

SEXTUM circa Criminationem Objectam, Anno poſteriori, Magiſtro *Carolo Geille de Saint Leger*, Doctori Medico.

Die 4 Julii, 1759.



NNO Domini ſeptingenteſimo-quinquageſimo-nono poſt milleſimum, die autem quarto Julii menſis, Saluberrimâ Facultate legitimè convocatâ, Doctores, juxta Schedulam de more delatam per domos ab Apparitoribus, deliberatum acceſſerunt de Libello Supplici, quem Vir Honeſtiſſimus *Ludovicus - Guillelmus Le Veillard*, Regi ab inferendis ferculis, Facultati dabat, circa iterandum examen Aquarum è clivo *Paſſiaco* Medicatarum, quæ

vulgò recentiores audiunt. Verùm argumento quod fecerat convocandi materiam, neglecto, præsenti saltem horæ particulâ, res, Doctoribus singulis ita volentibus, in Deliberationem derepente missa est, quam hodiernis in Comitiis agitandam fore nemo præviderat.

Scilicet inter Collegas qui primi Comitiorum Aulam ingressi sunt, indictâ horâ sesqui-decimâ matutinâ, sermo multus erat tristi simillimus, super declinato iterum à Magistro *Carolo-Geille de Saint Leger*, Judicio litis, in quam Saluberrimus Ordo noster adversùs eum anno superiori descendebat, hunc in finem, ut honor Accusati Collegæ declararetur in Foro salvus & incolumis; sin minùs, inustâ nomini suo labe in detergenda tametsi se totum impendat, infamiæ notam exuere nescierit, se sciret ejectum Asclepiadarum domo & Familiâ, cui dedecori verteret omnium maximo, si turpi consortione suâ fœdaretur ulteriùs. At quoniam ut gravi sic inauditæ apud nos litigationi finis fuerat hoc ipso mane tandem imponendus, non aliter fieri potuit quin Decanus causam exponeret, quare de novo frustra fuerit, assignatus toties à Magistratu, liti componendæ dies.

Enimverò dædaleas ob artes, quibus, proh pudor!, uti amant tam versipellis Collega noster, quàm Defensor uterque, quorum alterius in consiliis, alterius autem in opera, rei suæ Vindicem idoneum nactus est, fucum sic faciunt, ut litis in exitu maturando, quamquam festinanter agere videantur, quasi nervis intenderent omnibus, revera non respiciant ad finem alium, quàm ut ambage post ambagem interpositâ, moras ferendo Judicio nectant omnium maximè diuturnas. Quapropter non antè, quàm hesterno die, prodiit Accusati nomine Libellus duplex, quorum alter Memoria,



lis titulo, projicit ampullas & verba ſeſquipedalia, dum proſequitur hiſtoriam gravis injuriæ, quam illatam à nobis Accuſato fingit; qua de cauſâ non parùm plecti debeamus. Unde itaque Libellus alter Supplicis nomine, pœnas inter alias, mulctam ter mille librarum irrogandam Facultati ſignificabat confidentiſſimè. Quæ cùm ita ſint, commodum Decano viſum eſt, ſuæ in accelerando Judicio diligentiæ ſi ſuperſederet, uſquedum cognoſceretur Libello duplici eſſét-ne aliquid reſponſi dandum.

Hæc ubi renunciata ſunt, ſupervenit Magiſter *Jacobus-Franciſcus Latier*, cui præ manibus erat Libelli Memorialis exemplar, quod non aliunde receptum eſt, niſi quia (quanta eſt Æquiſſimi Magiſtratûs humanitas!) *Illuſtriſſimo Advocato Regis Catholico*, ſic rogato, placuit, ut idipſum quod Accuſatus huic obtulerat, ab *Amanuenſe* ſtatim traderetur, communicationis ergo, Procuratori noſtræ Facultatis. Rebus itaque poſthabitis quarum occaſione Comitia Decanus indixerat, expeditum Saluberrimus Ordo duxit, ſi Libellus Memorialis in gratiam Magiſtri *Caroli Geille de Saint Leger*, examini noſtro ſubjiceretur palam & actutum.

Totus ergo quantus erat, Saluberrima coram Facultate recitatus eſt Libellus viginti-octo paginarum, formæ quam dicunt *in-quarto*, cujus hæc initia ſunt, *La vertu même portée à l'excès dégénère en vice;* finis autem, *en effaçant de tels Décrets des Regiſtres de la Faculté qu'ils infectent, & où ils ſeroient un monument éternel de ſcandale.* De cætero, quominus eadem ambobus appellatio quos Forenſis rei cura tenet, *M. Bercher, Avocat*, quod nomen ſubſcriptum ad calcem Libelli legitur, errorem Perſonæ pariat, ſcire operæpretium eſt intelligendum illud eſſe, de Magiſtro *Guil-*

lelmo-Maria Bercher-Duclos, quatuor circum annos reſtituto Patronorum Ordini.

Lectione peractâ, Doctores ſententiam interrogati dixêre, defenſionem inſtitutam eſſe, mutato medio. Scilicet pulchre recordati ſunt, rem de qua coram Magiſtratu controverſia eſt, non ampliùs eò reſpicere, an comparata criminatio ſit, quam explorare noſtrûm fuiſſet, aut prætermittere; ſed tantummodo verti quæſtionem, utrùm argumenta quibus in ſuî defenſionem Accuſatum uti non puduit, teſtimonia luculenta ſint innocentiæ, qualis, ratione ſanctitatis officii noſtri, tuliſſe punctum omne cenſeatur. Negavit Facultas, à qua diſſidebat hoc uno capite, quo temporis articulo nos ad Forum appellare male-conſultus Collega noſter auſus eſt. Quibus breviter commemoratis, injurioſus ex toto facilè videbatur, unanimi conſenſu, Memorialis Liber, in quem Decanus ideo ſic arma tractare juſſus eſt, ut Architectum utrumque convitioſi Libelli, Clientem ſcilicet ac Patronum, quòd hunc ediderint, certò pœniteat. Etenim homo perditi prorſus conſilii ſiquidem æſtimandus eſt, à quo profecta ſit in calumniando protervia quâ diſcindimur, ſenſit Facultas ultionem in eo verſari quæ reos maximè tangat, quibus videtur ſupereſſe cum piis probíſque ſpecies aliqua conjunctionis ac neceſſitudinis, ſi facinus quod amborum eſt, inſcriberetur monumento quod palam in civitate, quod ubique, quod ſemper apponendum eſſet omnium oculis. Unde itaque Saluberrimus Ordo conſtituit Magiſtratum à Decano quantociùs fore ſalutandum, atque Facultatis invitandum nomine, Libellum convitioſum velit è medio tollere Solemni Judicio, quod mandatum typis audaciam amborum declaret ac turpitudinem.

Interea neutri gloriari ne libeat, quia donec exſpectatus Judicii dies illuxerit, ſaltem reſtat ut indulgeant quantùm libitum eſt, dolis & mendacio quæ datâ operâ Maledico Scripto congeſta ſunt, ſingulum ſua pœna manet, quam Saluberrimus Ordo voluit ut experiretur, antequam Ampliſſimo Senatu ſic jubente, patiantur illam quæ debetur Calumniatoribus.

Cauſidicum ergo quod attinet, quandoquidem à contumeliosè dictis quibus obruimur, avocari non potuit nec Fratris Germani gratiâ, cui videlicet Collegæ noſtro Facultas caritatis almæ pignora dividit, ob partum nomen ut doctrinâ ſic urbanitate conſpicuum, nec æqui veríque ſtudio juxta quod Vir Juriſperitus tenetur religioſiſſimè vitam componere; de communi ſententia dictum eſt, Defenſoris iniqui pravitatem à Decano fore denunciandam, Academiæ nomine, *Conſultiſſimo Patronorum Ordini*, de quo ambigitur utrùm in admiratione potiſſima ſit, quia rebus in anguſtis Patroni ſe ſuáque conſtanti animo publica pro libertate devovent, an quia nihil eſt ipſis antiquius, quàm ut delictis ſuorum ſeverè compreſſis, ſi quæ comperta ſint, honeſtatis ac juſtitiæ, quâ maximè florent, intemerata in laude permaneant.

Quem igitur in finem literis cum hodierno Decreto datis Facundiſſimo Viro, Magiſtro *Nicolao-Danieli-Philippo de la Marnière*, quo diſciplinæ Conſultiſſimos inter Patronos moderandæ, ſortes hoc anno temperantur, curabit Decanus exponere, quàm inſanienti libidinis æſtu, quantâ veritatis oblivione, quanto deſpectu pudoris acta ſit Magiſtri *Caroli-Geille de Saint-Leger* defenſio, quæ quidem abſit ut Collegio noſtro ſtoma-

chum moveat ideo, quia Memoriali Libello, criminis seu suspicione, seu culpâ vacasse dicitur. Enimverò nullus est inter nos cui gratissima non fuisset hujusmodi propositio, quam accipiendam esse pro certa sciret; imò verò candidè profitemur omnes, multo recordationis munere nos obligandos fore Causidico, qui salvâ veritate conclusionem eliceret, quâ planè quidem Accusati contineretur innocentia. Verùm Chartâ Memoriali quia res aliter atque aliter incedunt, non potuit Facultas quin indignè ferret, quòd Scriptor defensioni modum ponere nescius, Clientem excusatum ut habeat, ex industria deblaterare, quinimo debacchari sustinuerit in Academiam, cujus livori (si Libello fides) ac malignitati jurè quidem ac meritò referantur, quæ damna, quas accusationes innocuus Collega noster expertus est. Proh Deum Immortalem!, itá-ne civis cujus institutum vitæ genus in custodienda veritate respicit, abduci se passus est à veri rectique tramite, ut crimen ibi nostrum inveniat, ubi est unde Collegii nostri virtus & dignitas laudum incrementa magna percipiant! Itá-ne dissimulatione Defensoris, an ignorantiâ factum est, quòd adversari temere videatur institutioni, quam acceptam à Majoribus nemo nescit natam à prima rerum origine, nimirum sic Consultissimo Patronorum Ordini, sic Asclepiadarum genti legem esse sacram, ut unusquisque nostrûm audiat integer vitæ scelerísque purus!

Quare tam admirationi quàm tristitiæ locus est, quia Patroni nomine salutatur ille qui Scripto tam injurioso non trepidaverit admovere calamum. Unde sanè Decanus faciet iterum, Consultissimus Ordo cognoscat, dolore quanto moveamur, non tam quia dicteriis nos impugnavit procacibus atque calumniis, Collegæ nostri

Defenſor aſper & improbus, ſed quia calamitatem hujuſmodi ſentiamus ab illorum conſorti & municipe, quibuſcum ut antiqua ſic læta nobis eſt conſenſio ſtudiorum in Patriam ac officiorum; apud quos præclara diſciplinæ ratio quam cuſtodiunt exquiſitiſſimè, non ſinit ut rumor inhoneſtus de ſuorum moribus & vitæ propoſito quiſquis obortus eſt, vulgi ex opinione linguis hominum ac judicio traducatur. Quod reliquum eſt, extremam hoc in paſſu dabit Decanus operam, velit Conſultiſſimus Ordo cavere, ne quis ſuorum impunè ferat, ſi cuiquam contigerit rurſum in Facultatem jaculari tela quæ libido, quæ furor inſanus acuerit, adeóque toto cœlo diſtent ab Ordinis utriuſque conſuetudinibus.

Jam verò noſtrum ad Collegam oratione conversâ, ſubiit omnium animos verecundiæ ſenſus, quòd Accuſati, qui neſcit aliter ſe pœnæ ſubducere niſi quia doloſum incedit per iter, debeamus inviti quamquam & pudibundi revelare facinora. Quippe Facultatis in eum indulgentiæ ſignificatio fuerat, ut anno ſuperiori ſancitum ſit, ne quid vulgaretur ex illis de quibus ipſi coram Magiſtratu reſpondendum erit Accuſatoribus. Quale propoſitum Saluberrimus Ordo non mutaret, ſi ſtrophis tantummodo verboſis, ut ſolet, Collega noſter calumniaretur. At quoniam hominis eo uſque crevit audacia, Publico Scripto nobis ut obtruderit conſilia ſceleratiſſima, quaſi pactum fuiſſet inter nos, ut illius qui ſcilicet ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα vultûs immemores & noſtri generis, citra rationem aliquam, præterquam perverſam animi noſtri voluntatem, flagitiis Collegam inſimularemus, qualia poſt homines natos judicio materiam in Foro Medico nondum objecerant; ſequitur ut æquanimitati jam aditus intercludatur omnis, ſed ſuperſit injuriam forti vindi-

care dexterâ. Quare itaque quem videt periisse cùm perditum ducat, Saluberrimus Ordo voluit ut rerum circa litem hodiernam in Academia gestarum, concinnaretur brevis Historia Gallicè scripta, quæ clamitationibus expers, salibus & jocis, aperto stylo & simplici veritatem nudam exprimeret; cui videlicet defensionis legitimæ modo, gratiæ tantùm apud frugi homines ac virtutis inest, quantùm requiritur ut fidem amittant calumniatoris Collegæ mendacia.

Quid pluribus? Non latet quidem Academiam in offensa quam intulit, satis superque dari locum, cur ejiciendus homo pellatur è gremio, nullâ deinceps pœnitentiæ causâ Doctorum Albo referendus. Verùm enim verò Judicium quod penes Magistratum est, quominus anteverteretur, pœnam quam Accusatus meruit impudentiæ novissimæ causâ, decernendam Saluberrimus Ordo reservavit, arbitrio Senatûs Amplissimi, quem iterum atque iterum deprecatur & enixè rogat, ut litis cui manè finis imponendus erat, prope diem sortiatur exitum. Quo quidem in stadio tametsi moras Adversarius more suo protraheret, vel obsidioni Trojanæ proximas, sciat Collegii nostri Magistros omnes & singulos, eo esse in illum affectos animo, qui flecti nequeat, ut angue pejùs non fugiant consortia Medica repudiando cum homine, quem recordationis æternæ beneficia, quibus à Saluberrima Facultate cumulatus est, non cohibuêre ne gladium evaginaret, impio conatu, matris in viscera. Et sit conclusit,

B O Y E R, *Decanus*.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medic. Typograp. 1758.